



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 146. Conspiratio in Galliis adversus Connestabilem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1440.

portandas farcinas habebat, præter gentem famulorum numerum, qui quæversus excurrerant, totamque Regnum expilabant. Insuper statutum, ut Satellitum bini tres duntaxat equos secum ducerent, illisque juxta hunc numerum stipendia solverentur, denique ad regni fines stationes suas haberent. Displeuit tamen hæc militaris disciplina tantum Proceribus, quam belli Præfectis; quapropter quorundam Aulicorum æmulatione penitus eversa est; hi enim ægerrime ferrebant, alios præter se majori apud Regem gratia ac auctoritate valere.

§. CXLVI.

Conspiratio in Galliis adversus Connestabilem.

Ea tempestate apud Carolum Galliarum Regem gratia, & auctoritate maxime valebant Carolus Andegavensis Cenomani Comes, necnon Richemundus itidem Comes ac Franciæ Connestabilis: ceteri vero Principes, cum Regem nonnisi duobus vel tribus privatis addictum, eosque solos totius quasi regni dominatum gerere viderent, id ultra æquo animo ferendo impares, in Ministros, Regisque Confiliarios seditionem concitare intendebant. Antesignanos illius sese præbebant Aleconius, Borbonius, necnon Vindocinensis

Duces

Duces præter Dunensem Comitem, plu-
 resque alios, quibus & Trimollius Regis
 nuper gratia dejectus accessit, horum ope
 regressum sibi ad aulam per fas, nefasque
 moliturus. Conferebant primum Blesis
 sua consilia, quibus conclusum ab aula
 recedere, populumque contra suos Magi-
 stratus in seditionem concitare, nec ar-
 ma ante ponere, quam Rex omnes illos,
 quos turbarum in Regno, & calamitatum
 in populo unicos Auctores nominabant,
 e suo Senatu exulare juberet. Quinimo
 conspirationis hujus caput ipsum quoque
 Delphinum præficere parabant, quo fa-
 ctioni suæ plus auctoritatis ac potentia
 conciliarent.

Hunc in finem Calvimontis Comitem,
 Buccicaldum, Sanglerium, & Borbonium
 Nothum quantocius Niorthum Pictavien-
 sis Provinciae urbem, ubi eo tempore Del-
 phinus agebat, ablegarunt, ut Principis
 animum explorarent, eundemque de fœ-
 dere inito edocerent. Hi Delphinum ea
 ex parte, qua facilius expugnatum iri cre-
 debant, adoriebantur. Proponebant quip-
 pe sermone admodum efficaci, rem huc-
 usque non auditam esse, Principem jam
 tali in ætate constitutum (decimum octa-
 vum annum propemodum agebat) & sce-
 ptro moderando sat maturum a Regimi-
 nis consortio, & publicorum Regni nego-
 tiorum cura penitus excludi: nunc vero

Hist. Eccles. Tom. XXVII. Q. q. am-

Sæcul. XV.
A. C. 1440.

amplissimam ei offerri occasionem, quæ demum, quid sua valeret auctoritas, etiam invitis ostendere posset: Jam plurimos eosque Regio sanguine satos Principes aliosque supremos belli Præfectos inter se foedere ad restaurandam Regni tranquillitatem conspirasse, nec quicquam ultra desiderari, quam ut sub gloriosissimi Principis auspiciis rem aggredi possent, hos omnes suum eidem obsequium, auxiliumque paratissime impensuros.

§. CXLVII.

Delphinus conspirationis caput sese professus.

Delphinus eo tempore, quamvis ætate admodum juvenis esset, connubio tamen jam junctus erat Margaritæ, quæ Jacobi I. Scotiæ Regis Filia fuit. Commendaverat illum Rex Pater talium Virorum curæ, quorum fidem, ac probitatem sibi satis compertam habebat, ac præcipue Marchiæ Comiti instituendum tradiderat, quem tamen postea Alenconii Dux ab officio artibus suis dimovit. Amplectebatur itaque juvenis iste Princeps conjuratorum factionem, seque illius caput lubenti prorsus animo declarabat. Marchiæ vero Comes hanc subitam Delphini mutationem brevi animadvertens, Regem, qui eo tempore Andegavi morabatur,